



per Nebucadnezarem destructum et in cineres redactum erat, qui etiam vasa sacra secum abstulerat, iisdemque in quodam lectisternio foedissime abusus erat: tandem aliquando secundum templum per Iosiam et Serubabelem funditus ex mandato regis Darii exstructum est, cuius Efr. 6. mentio fit. Idem vero illud in excidio Hierosolymitano ultimo denuo destructum et plane defolatum est, id, quod Christus Matth. 24. vaticinatus erat.

Postquam benignissimus generis humani redemptor in terris comparuerat, ut nos ex peccatorum sentina et omnium calamitatum voragine eriperet et in libertatem vindicaret: gregem sibi et ecclesiam partim ex Iudæis, partim ex gentilibus collegit, ita, ut ex duobus quasi ouilibus unus grex cogereur.

Post plantatam vero Christi ecclesiam non statim templa splendide exstructa ad Christo cultum faciendum suppetebant: sed Christi aedificæ partim in templo Hierosolymitano ante eius excidium, et in primis in porticu Salomonis Act. 2, 46. partim in Synagoga, partim in priuatis domibus conuenire, et editiorem in illis locum (*ὑπερωον* Act. 1, 13.) occupare, ibidemque Sacra Deo facere consueuerunt. Quid? quod tempore persecutionum, quæ mox in Christi nomen profitentes defæuere coeperunt, in coemeteriis, uel etiam in aliis locis abditis atque ab hominum frequentia remotis, etiam nocturno tempore, sanctos agere conuentus, coacti sunt; in quibus, quod Plin. ep. lib. X. ep. 97. testatur, Christo suo tamquam Deo carmina dixerunt, seque sacramento, non in scelus aliquod, obstrinxerunt, sed, ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis mos illis discedendi fuit.

Cessantibus denique funestissimis illis Christianorum cladibus, et euangelii lumine magis magisque increbescente etiam publica templa Christiani aedificare coeperunt, quæ quidem non adeo ab initio fuere splendida, sed sua se tantum munditie atque simplicitate commendabant. Exstruebant autem templa sua versus Orientem solem, ut a Iudæis Occidentem versus preces fundentibus se distinguerent, et in honorem atque memoriam solis iustitiæ, cui etiam solis diem consecrarunt. Tribus potissimum partibus hæc templa absolvebantur, quarum prima chorus,

Βησα,